etiam civitas sancta decem annis in desolatione et miseria, sed Heraclius eam reformavit et Constantinopolim rediit et vitiosam vitam ducere coepit.

Eo tempore Machometus, diabolus incarnatus, primogenitus Asmodei, filius Belial, nuntius Satanae, deceptor orbis, confusio mundi, destructor ecclesiae Dei, propheta falsus, praecursor Antichristi et Antichristus, complementum haeresium, corruptor divinarum legum, persecutor fidelium ac totius falsitatis prodigium, vesaniam suam ostentare coepit, ut compleretur lamentabilis prophetia de eo, Apocal. 13. pronuntiata, quia ipse erat bestia illa horribilis et detestabilis, quam Johannes vidit ascendere de terra habentem duo cornua etc. Vide expositionem in Chron. Antonini Part. 1. Tit. VI. cap. 1. §. 10. Illa mala bestia crudeliter saeviente multae christianae regiones et regna in partem suam cadebant. Quod videns Heraclius timuit, ne ingressus Jerosolymam templum dominici sepulchri destrueret et cruci sanctae irreverentiam exhiberet; praevenit Machometum et tulit sanctam crucem et quaeque sancta et pretiosa de templo transtulitque ea Constantinopolim, quia desperabat se posse resistere Machometo. Illa translocatio sanctae crucis facta fuit anno Domini 623.

Mortuo post haec Machometo tertius ejus successor Hamor, filius Cathap, civitatem Jerusalem cepit anno Domini 634. et in ea civitate aedificavit ingentem muscheam pro Sarracenis et Machometistis in loco, ubi steterat templum Salomonis, de quo dixi supra fol. 256. Nam in captione urbis intendebat templum sancti sepulchri mammeriam facere idque pro Sarracenorum cultu aptare, sed dum templum ingrederetur, divina quadam virtute perterritus destitit a proposito, (267 A) et satis benigne se ad Christianos habuit, et hoc propter Sempronii episcopi Christianorum pietatem, et mansueto ejus consilio utebatur in templi novi constructione. Ex his patet, quod templum dominici sepulchri trecentis et quatuor annis stetit ante templum, quod nominant Salomonis. Permisit ergo Hamor ille Christianos in suo templo Deo servire, et Sarracenos coegit in alio templo Machometum laudare. Nondum enim erat populus gentilis Machometi ritibus assuetus,

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;